194

M

81

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 81




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 81

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 81



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 81



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 81



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 81

KW
194 M 81

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 81

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 81

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 81

DISSERTATIO THEOLOGICA INAUGURALIS
De Angelo Satan colaphizante Paulum, ad 2 Cor. XII. 7.

QUAM,

ANNUENTE DIVINO NUMINE,

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. JACOBI TRIGLANDII, I.F.I.N.
SS. THEOL. DOCT. ET IN ACAD. LUGD.
BAT. PROFESSORIS, ECCLESIÆ
IBIDEM PASTORIS,

NEC NON

Ampliſſimi Senatûs Academici Conſenſu, & Celeberrimæ Facultatis THEOLOGICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summiſque in THEOLOGIA Honoribus, & Privilegiis, ritè, ac legitimè conſequendis,

Publicæ Eruditorum diſquiſitioni ſubjicit

PETRUS SANTVOORT, Bredanus, V.D.M

Ad diem 1. *Octob. à puncto horæ* 9 *ad* 11.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typographum. M DC XCIX.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 81

EXCELLENTISSIMO ET ILLUSTRISSIMO VIRO.

GUILIELMO BENTING,

COMITI PORTLANDIÆ,

DOMINO. VAN. ROON. ET. PENDREGT. &c. &c. MAJORIBUS. ANGLIÆ. ORDINIBUS. ET. EQUESTRI. BATAVORUM. ORDINI. ADSCRIPTO. COMITATUS. LINGANI. ET. BREDANÆ. DIOECESEOS. SATRAPÆ. SUPREMI. DVCIS. MILITIÆ. EQUESTRIS. OPTIONI. LEGIONIS. PRÆTORIANÆ. MAGNI. GUILIELMI. BRITANNIARUM. REGIS. AUGUSTISSMI. PRÆFECTO. SUMMO. EJUSDEMQUE. MAJESTATIS. REGIÆ. AD. LUDOVICUM. GALLIARUM. REGEM. NUPER. LEGATO. EXTRAORDINARIO. &c. &c. &c. DE. ECCLESIA. REPUBLICA. EUROPA. UNIVERSA. BONISQUE. OMNIBUS. SPLENDIDISSIME MERITO. ET. INDIES. MERENTI.

Hanc diſſertationem, atque omnia ſua Studia humillime conſecrat

PETRUS SANTVOORT, Bredanus.

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 81

DISSERTATIO THEOLOGICA INAUGURALIS *DE* Angelo Satan colaphizante Paulum, ad 2. COR. XII. 7.

THESIS I.

DEUS hominibus, dum in hac vita ſunt, ita ſolet admetiri proſperitatem, ut acrimoniâ quadam ærumnæ temperetur. Ipſe Servator ad eum modum fuit habitus, poſtquam enim, Deo ipſum Meſſiam proclamante, Spiritu S. in eum glorioſe deſcendente fuiſſet baptizatus, ſtatim tradebatur tentandus Satanæ: ſic ſaltem hiſtoriæ Baptiſmi *Matthæus* & *Lucas* ſubjungunt narrationem de Tentatione *Matth.* 3.4. *Luc.* 3.4. Parili modo ſeſe habebant res *Pauli*. Non licebat cuiquam eſſe Apoſtolo, niſi cum Chriſto eſſet verſatus à Baptiſmo ejus uſque ad Aſcenſionem *Act.* 1. Defectus ille compenſabatur raptu in cœlum. Oecum. pag. 594. Ἵνα μὴ δὲ ἐν τούτῳ ἔλαττον ἔχῃ τῶν λοιπῶν Ἀποστόλων τῶν διαγενομένων σωματικῶς

μετὰ τοῦ Κυρίου. *Ne in hac re minor eſſet cæteris Apoſtolis, qui corporaliter cum Domino egerant.* Opus autem erat, gaudium hoc contaminari aliquâ ægritudine, ne ſuperbiret, ἀγαθὸς περ ἐών. Ægritudo affuſa dictæ beatitudini narratur his verbis 2 *Cor.* 12. 7. καὶ τῇ ὑπερβολῇ τῶν ἀποκαλύψεων ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι, ἐδόθη μοι σκόλοψ τῇ σαρκὶ, ἌΓΓΕΛΟΣ ΣΑΤΑ͂Ν, ἵνα με ΚΟΛΑΦΊΖΗ, ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι.

II. Audiverat in cœlo ἄρρητα ῥήματα ἃ οὐκ ἐξὸν ἀνθρώπῳ λαλῆσαι. Hæc σκόλοπα *Paulo* relinquebant, verius, quam verba *Periclis* famoſi Oratoris, de quo ex *Eupoli* citat verſus *Diodorus Sic.* lib. 12.

Περικλέης Ολύμπιος
Οὕτως ἐκήλει, καὶ μόνος τῶν Ῥητόρων
Τὸ κέντρον ἐγκατέλειπε τοῖς ἀκροωμένοις.

Pericles Olympius
Sic demulcebat, & ſolus Oratorum
Aculeum relinquebat auditoribus.

Fingunt Judæi, nemini vivo licere ingredi Paradiſum, obſtare ſcilicet מלאך חבלה או מלאך המות / *Angelum perditionis ſeu mortis.* Somnia febricitantium hæc ſunt, quæ ipſi, evidentia falſitatis coacti, in ſenſum ἐκστάσεως vertere coguntur. *Paulo* autem, cui ingredienti Paradiſum nullus obſtitit Angelus, reverſo manſit *Angelus Satan*; de quo agere inſtituimus. Veniam præfati, ſi in materia abſtruſa, quæque ab omni ævo multorum ingenia exercuit, præ ignorantia vel ingenii hebetudine cæſpitemus. Prælibabimus pauca de vocibus, quibus mentem ſuam pandit an occultat Apoſtolus, quæ ſunt. 1. Ἄγγελος. 2. Σατᾶν. 3. ἵνα με κολαφίζῃ.

III. Ἄγγελος ab ἀγγέλλω, quod an ab ἄγω i. e. *fero*, an vero ab ἀνὰ & κέλλω *moveo*, an ab ἀνὰ & κέλω *jubeo*, *mando*, an vero tandem ab Hebraica voce מלאך / tranſpoſitis & paullum mutatis στοιχείοις, derivetur, determinare hic nihil attinet. Etymologis talia relinquimus. Hebraicum nomen eſt, ut dictum, מלאך / à *Rad* לאך, quæ *miniſtrandi* vel *mittendi* ſignificationem habuiſſe, ex uſu, in vicinis linguis Arabica & Æthiopica, etiamnum reliquo, veriſimile eſt. *Nuncium* indicare, cuivis notum eſt; & quidem qualemcunque, ſive ille ſit Deus Filius, ſive homo, ſive res inanimata. Quo poſtremo modo, quæ Deus,

per

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 81

per Moſis miniſterium, Ægyptiis in afflictionem immittebat; vocantur מלאכים *Pſal.* 78. 49. Communiſſima vero eſt notio, quâ ſpiritus indicat, abſque corpore à Deo creatos, ut Ei in benefaciendis fidelibus, puniendiſque reprobis miniſtrent. Et eâ ſignificatione vox ſemper ſumenda, niſi aliud quid obſtet, quod circumſtantiæ rerum ferè determinant.

IV. 2. Σατᾶν Hebræum eſt שטן i. e. *Adverſarius*, græce Ἀντικείμενος, licet plurimi inter Græcos vertant Ἀποστάτην. *Suidas*; Σατανᾶς κατὰ τὴν Ἑβραίων γλῶσσαν ὁ Ἀποστάτης λέγεται· ὁ αὐτὸς καὶ διάβολος. Terminationem à Suidâ ex aliis N. F. locis additam vides, nempe è *Matth.* 12. 26. 16: 23. 1 *Theſſ.* 2. 18. Diverſitas hæc mire philoſophandi occaſionem præbuit *Iuſtino Martyri.* Satan ipſi vox ſimplex, Satanas compoſita. Verba ab exſcriptoribus male habita, & ab editoribus reſtitui non quita, eo quod parem Hebrææ ac Græcæ linguæ cognitionem non haberent, addam & reſtituere conabor. Sic ergo *Dialogo cum Tryphone Iudæo.* Καὶ ὑπὸ τοῦ Ἰησοῦ Σατανᾶς προσηγόρευται, ὄνομα ἀπὸ τῆς πράξεως ἧς ἔπραξε σύνθετον κτησάμενον αὐτὸν μηνύων (legendum ſuſpicor μηνύοντος.) Τὸ γὰρ Σατὰν τῇ Ἰουδαίων καὶ Σύρων φωνῇ ἀποστάτης ἐστί. Τὸ δὲ νᾶς ὄνομα ἐξ οὗ ἑρμηνείας ὄφις ἐκλήθη. Ταυτὸν ἐστι σατὰν τῇ Ἑβραίων ἑρμηνευθείσῃ φωνῇ. Ἐξ ὧν ἀμφοτέρων τῶν εἰρημένων ἓν ὄνομα γίνεται Σατανᾶς. Perplexus omnino eſt ſenſus. Quod & alii olfecerunt. Quid? an Σατᾶν idem eſt ac Ὄφις? Id nemo dixerit, niſi Hebraicæ linguæ prorſus ignarus. Levi, & ſatis ſolito medicamine, num ſanari poſſit, *Criticis* penſitandum dabo. Poſtpono illam pericopam, τὸ δὲ νᾶς ὄνομα ἐξ οὗ ἑρμηνείας ὄφις ἐκλήθη, ſequenti pericopæ. Adeo ut ταυτὸν ἐστι immediatè ſequatur poſt illas voces, ἀποστάτης ἐστί. Tunc omnia limpidè fluere, è verſione, & annotatiunculis, cuivis attendenti patebit. Sic ergo reddentur. *Et à Jeſu Satanas vocatur, nomen ab opere, quod fecit, compoſitum eum poſſediſſe indicante. Satan enim Judæorum & Syrorum linguâ Transfuga eſt. Idem eſt Sata Hebræorum expoſitum linguâ. Nas verò nomen quod Serpens vertitur. E quibus binis prædictis unum nomen fit Satanas.* Docet *Druſius* ad h. l. שט *deficere* eſſe. & νᾶς pro νάας idem ac Hebræum נחש *Serpentem.* Non autem attendit Juſtinus, terminationem deſumptam eſſe è Syriaſmo, qui ܣܛܢܐ dicit. Ne verò aliorum ſcrinia com-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 81

pilaſſe videamur; ablegamus lectorem ad *Pfeif. Dubia Vexata* p. 990. *Dominic. Macrum in Hierolexico*, Celeberr. *Voetium Diſpp. Tom.* 1. p. 906. atque etiam ad *Clariſſ. Marckii Exercit. Exeget.* XXV. *ad Zach.* 3. 1.

V. Cum *Satan*, ut vox exotica, ſit indeclinabilis, dubium eſt an caſu recto an obliquo ea ſit accipienda. Multum tamen intereſſe non puto. *Beza* ait; *Ego malo de ipſo Satana accipere caſu recto.* At conſentiunt ferè tum verſiones tum commentarii in obliquo caſu. *Syrus* ܡܰܠܰܐܟܶܗ ܕܣܳܛܳܢܳܐ; *Arabs* رسول سطان, i. e. *Angelus Satanæ.* Sic & verſiones vernaculæ, ne *Gloſſam Ordinariam*, *Auguſtinum*, &c. addam. Hiſce pollicem libens premo, nam ſatis frequens eſt *Novo Teſt.* Diabolum & Angelos ejus memorare: quin & *Hebræis* vetuſtiſſimis, (è quibus phraſes ſuas ſæpe hauriunt ſcriptores N. Fœderis,) familiare eſt loqui de ראש או ראשון כל השטנים *Capite, vel Principe omnium Satanarum.* Qui apud *Matthæum* vocatur Βεελζεβὲλ, apud Judæos & in libro *Tobiæ* אשמדאי *Aſmodæus.* Et quod aliqui caſu recto acceperint, inde ortum eſſe videtur, quod honori *Pauli* velificatum voluerint, quippe qui non à gregario aliquo, ſed principe Dæmoniorum κολαφισθῇ.

VI. 3. Ἵνα με κολαφίζῃ. Quid ſit κόλαφος, & per conſequens κολαφίζειν, docebit *Euſtathius ad Iliad.* Ῥαψ. N. Hæc verba.

Ὅς τε μέγ᾽ κολοσυρτὸν, καὶ τὰ ἑξῆς.

Κόλον, inquit, τὸ μέγα, ἐξ οὗ καὶ κολόκυμα τὸ μέγα κῦμα, καὶ ὁ μεγάλην δέ φασιν ἀφὴν ἔχων κόλαφος καλεῖται, ἀφ᾽ οὗ ῥῆμα κολαφίζειν. Quæ ſic verto. Κόλον *idem quod magnum, è quo & κολόκυμα quaſi magnus fluctus. Et qui magnam, ut ajunt, percuſſionem habet,* κόλαφος *vocatur, unde verbum* κολαφίζειν. Non autem videtur ſibi conſtare in originatione vocis, cum contrario plane modo procedat ad *Οδυσ.* Ῥαψ. P. hæc verba,

Αἰτίζων ἀκόλους,

ubi commentatur. Ἡ γὰρ λέξις, ἀφ᾽ ἧς οἱ ἄκολοι γίνονται, παράγει καὶ τὸ κολόκυμα, τὸ κωφὸν κῦμα. ὃ καὶ κόλον κῦμα διαλελυμένως λέγεται, ἐκεῖθεν γὰρ καὶ κόλαφος. Quod è ſenſu ſic verterem.

Voca-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 81

Vocabulum autem, *unde* ἄκωλοι *fiunt*, *producit &* κωλόκυμα, *i. e. ſurdum fluctum* : *qui & parvus fluctus*, voce in duas *diſſoluta dicitur* ; *unde &* κόλαφος. Varino deſcribitur πληγὴ ἡ διδομένη διὰ τῶν μέσων δακτύλων, *percuſſio quæ datur mediis digitis.* Sic & κολαφίζειν vertunt πυγμῇ παίειν. De differentia κολάφου καὶ ῥαπίσματος, colaphi & alapæ, non dicemus. *Syrus* hic generaliori utitur voce ܡܚܝܢ quæ & Græcæ voci τύπτειν reſpondet 1 *Cor.* 8. 12. alibi colaphizationem transfert ܐܘܠܨܢܐ nempe 1 *Pet.* 2. 20. voce iterum reſpondente voci θλίψεως *Matth.* 24. 9. Nec *Arabs* præciſe κολαφίζειν habet, ſed reddens لقرعي dubium relinquit, an *percuſſionem* ſeu *pulſationem* ſimpliciter, an verò *percuſſionem capitis* vel *frontis* intelligat. Quoniam porrò nulla vox pure Hebræa exſtat, quæ huic voci reſpondeat, finxere *Talmudici* ex eâ קולפא / in *Erachin*, ubi à Gloſſa explicatur הכאות גדולות *plagæ magnæ.* Fateor vocem, de quâ agimus, propriè ſumi *Matth.* 26. 67. *Act.* 23. 2. & forte 1 *Cor.* 4. 11. Improprius uſus eſt in hâc eâdem Epiſtola Cap. 11. 20. ubi generalem *vexandi* ſignificationem eſſe, quivis attendens facile percipiet. Sic etiam utitur *Eccleſia Smyrnenſis* in Epiſtola quam de *Martyrio Polycarpi* ad *Eccleſias Ponti* ſcripſit, quam primus integram *Uſſerius* edidit, ubi de Martyribus dicunt quod fuerint κήρυκας ὑποστρωννύμενοι, καὶ ἄλλαις ποικίλαις βασάνοις κολαφιζόμενοι, q.d. *Corporibus ipſorum ſubſternebantur murices*, *& ipſi diverſis cruciatibus colaphizabantur. Grotius vertit*, *ut me vexet. Calvinus*, *repreſſum & humiliatum eſſe Paulum* dixit. *Amyraldus* in Paraphraſi ſua Gallicâ ait, *pour me harceler & m' outrager continuellement*, *i. e. ut perpetuo me vexet & contumelia afficiat.*

VII. Nec ſilentio debet præteriri tempus verbi κολαφίζῃ, non enim dicit κολαφίσῃ in aör. 1. ut ajunt ſed præſenti. Et licet Vir cæteroquin Doctus non multum differentiæ inter iſta duo ponat, magna tamen intereſt ; poſterius enim ſi Apoſtolus dixiſſet, indicium eſſet ſe aliquando tantum fuiſſe colaphis cæſum, ſed cum priori modo ſe exprimat, perpetuam colaphorum durationem innuit. Falſus fuit hac in parte *Eraſmus* vertens, *datus mihi fuit* ſurculus ſeu Angelus Satanæ, *qui me colaphis caederet* ; cujus προσχήματος Virum magnum recte convincit *Beza.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 81

Idem vidit *Oecumenius*, cujus hæc obſervatio Οὐκ εἶπε κολαφίσῃ, ἀλλὰ τὸ ἀεὶ ἔχειν τὸν ἀνεστῶτα δηλῶν, κολαφίζῃ εἶπεν. Mens ejus huc redit, hoc enunciandi modo Paulum dicere, ſe *ſemper habere adverſarium.* Adeo ut non tantum minando & terrendo Satanæ Angelus eum afflixerit, ſed & reverâ affligendo. Quod cum ita ſit, non poſſum probare *Johannis Clerici* gloſſam, ingenioſam licet, quam animadverſionibus ſuis in Hammondum immiſcuit. *Exiſtimarim*, inquit, *voce* σκόλοπα (lege σκόλοψ vel σκόλοπος) *reſpici ad præacutum lignum; non quodvis, ſed quod immineret homini incurvo, eum graviter puncturum, ſi ſeſe erigeret. Fingamus nobis caſum* Reguli quem Carthaginienſes καθείρξαντες ἐν γαλεάγρᾳ κέντρα πάντοθεν ἐχούσῃ διέφθειραν, clauſum in cavea ſtimulos undecunque habente occiderunt. *Quæ verba ſunt* Appiani Lib. I. *Quocunque ſe ille movebat, membra ſtimulis pungebat. Aliquid ex parte ſimile pateretur, qui haberet impendentes ſudes præacutas, quibus pungeretur, ſi corpus incurvum erigeret. Ita ſi Paulus nimium animo ſuperbiret, ob revelationes à Deo acceptas, paratus erat Cacodæmon, qui poteſtatem à Deo acceperat ei adverſandi, ut ei noceret.* Quaſi verò paratus tantum fuerit Satan nocere ei, ſi ſuperbiret. Et quis dicet *Paulum* unquam poſt raptum in cœlum ſuperbiiſſe? Vidit hoc Celeber. *Coccejus* in h. l. §. 32. Τὸ κολαφίζειν, ait, *ut notat Chryſoſtomus eſt præſentis. Et notat aliquid quotidianum. Non putandum eſt Apoſtolum uno modo fuiſſe à Satana divexatum. Aut eum præſciviſſe, quæ ſingulorum dierum futura eſſet tentatio.* Ibi certè realem intelligit vexationem, quæ abſolutè contingebat *Paulo* abſque conditione, ſi ſuperbiret. Sed paulo ante aliter, nempe §. 28. *Altera ratio editur hic, quare gloriationi parcat; ne irritet aut provocet in ſe Angelum Satan, ſibi additum humiliandi ſui causâ.* Quibus verbis omnem Satanæ poteſtatem abrogat, affligendi *Paulum*, niſi ſuperbiret.

VIII. Humiliationi admodum conducere poterat illa afflictio, quæ colaphorum nomine exprimitur. Herorum erat colaphos impingere ſervis. Unde Leno apud *Terentium Adelphis* ait.

Homini miſero plus quingentos colaphos infregit mihi. Ubi Donatus, *contumelioſæ cædes* colaphus *& digna lenone.* Ad ſervos & ſervile hoc ſupplicium ducit nos locus *Petri* I Epiſt. Cap. 2. 20.

2. 20. Agit enim ibi de ſervis, eoſque monet quomodo ſe gerant erga Dominos. Hinc plurimi Interpretes ad contumeliam trahunt hos colaphos. Paulo ante id in paraphraſi vidimus *Amyraldi*. *Piſcator* dubitat, an propriè an verò de pudefactione ſit intelligendum. *Hammondus* in ſenſum contumeliæ adeo proclivis eſt, ut eo & σκόλοπα trahat, quem hac nota illuſtrat: *Quid hæc locutio ſignificet, colligere licet ex Ezech.* 28. 24. *ubi* ſpina pungens *ſignificat gravem calamitatem, qualis eſt cum quis à ſui contemptoribus malè habetur*. *Beza* his verbis mentem ſuam pandit: *Omne contumeliæ genus Apoſtolus vocat Colaphos, quod præcipue injuriæ genus cenſetur eſſe maxime probroſum.* Similia alii paſſim.

IX. Cum autem talis ſit affligendi modus, unde nemo mortem ſubire præſumitur, cogitatio ſubit, annon *Paulus* hac phraſi innuere velit, limitatam eſſe in ſe Satanæ poteſtatem, adeo ut non longius quam ad colaphos procedere ipſi ſit conceſſum. Sane hiſtoria Jobi talem limitationem eſſe conſuetam indicat. Cum ergo Judæi aſſerant *Angelo mortis* eſſe jus occidendi incircumciſos, vel eos quorum negligentiâ non circumcidebantur qui eorum fidei erat crediti, quam ſententiam hauriunt ex *Exod.* 4. 24. ubi *Jarchius* ויבקש המית / annotat לפי שלא מל את אליעזר בנו ועל שנהרשל בענש מיתה תניא *eo quod non circumciderat Eliezerum filium ſuum puniendus fuiſſet morte ſecundâ.* Ne ergo Judæis occaſionem daret calumniandi eum, quaſi Satanæ plenaria in eum fuiſſet poteſtas, utpote qui, per apoſtaſiam, ut illi putabant, privilegiis gentis Judaicæ excidiſſet, tale genus afflictionis notat, quod morte minus erat. Et cum in ipſa Eccleſia Chriſtianâ cenſerentur eſſe ſub poteſtate Satanæ, qui ab Eccleſiæ communione erant ſeparati, ut phraſis indicat *tràdendi Satanæ* 1 *Tim.* 1. 20. quod & inter ipſos contigerat Corinthios 1 *Cor.* 5. 5. non dicit Apoſtolus ἐδόθην Σατανᾷ, vel Ἀγγέλῳ Σατᾶν, ſed ἐδόθη μοι Ἄγγελος Σατᾶν: nec addit εἰς ὄλεθρον σαρκός, ſed levius quid, ἵνα με κολαφίζῃ.

X. Colaphi illi, ut è ſupra dictis liquet, facile ſenſum generalem vexationis & contumeliæ admittunt. At verò idem dicere non licet de cauſâ infligente hos Colaphos, *Angelo* ſcilicet *Satan*. Diabolus propriè eſt intelligendus: cum enim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 81

verba valeant uſu, non poſſum videre, qua ratione clarius pleniuſque mentem ſuam explicuiſſet *Paulus*, Cacodæmonemque indicaſſet, quam hâc quâ utitur phraſi. Non exiſtimo ullum fore, qui neget apud Judæos, tempore quo ſcribebat Apoſtolus, מלאך השטן ſpiritum malignum deſignaſſe; & modo terminos intelligebant gentiles converſi, eâdem ipſis ideâ obverſaturum fuiſſe malum genium. Quæ ergo, malum, hodierna rabies ratione majoris ἀκριβείας ab hâc uſitata notione vocum velle recedere? ſermonemque fraudulentum affingere *Paulo*, quin &, quod blaſphenum eſt, ipſi Chriſto? Κρησφύγετα ſunt, ſi voces quis excutiat attendatque quid unaquæque in propriâ an impropriâ acceptione valeat, vel valere poſſit, neglecto interim uſu, quem penes arbitrium eſt & vis & norma loquendi. Voces & phraſes ſunt exponendæ vulgatiſſimo, qui tum cum ſcribebantur obtinebat, ſenſu, niſi vel res vel textus alia circumſtantia contrarium ſuâdeant. Quam eo caſu ſignificationem diverſam illi ad quos dirigebatur ſermo poterant dignoſcere. Uſus certe tum obtinuit, ut *Angelum* dicentes talem ſpiritum intellexerint, qui abſque corpore creatus, Deo miniſtrando erat addictus: *Satanam* autem, *malum Angelum*. Uti Satanas & Δαιμόνιον convertuntur *Matth.* 12. 24. 26. 27. 28. Multo magis id dicendum de vocibus his conjunctis *Angelo Satan*. Ab ævo certe inter Judæos inoluerat opinio, plurima mala humano generi immitti mediantibus Angelis malis. Inde factum, quod ubi Hebræa veritas habet דֶּבֶר *peſtem*, *Targum* ferè habeat מלאך מותא / ut inter cætera videre eſt *Hab.* 3. 5. Auſam acceperant ſic cogitandi 2 *Sam.* 24. 15. 16. & 2 *Reg.* 19. 35. Tum & Judæorum vetus eſt traditio, omnia à terrâ uſque ad הרקיע (*Expanſum* an *Firmamentum*) eſſe plena Angelis: supernè eſſe bonos, infernè malos, quos promptos ſtatuunt & opportunos affligendis hominibus. Et memini in eam mentem citari *R. Joſephum* in שערי אורה / quin & ipſa Miſchna circiter centum annos, poſt hanc ad Corinthios Epiſtolam, ſcripta, dicit in מסכת השבת *Cap.* 2. המכבה את הנר מפני רוח רעה פטור / *Qui exſtinguit lucernam ob ſpiritum malum, ſolutus eſt.* Senſus eſt, tantam inter homines verſari ſpirituum malorum multitudinem, ut metus ſit ne irritentur lumine candelæ, quapropter licere

eam,

eam hanc ob cauſam die ſabbathi exſtinguere. Hæ erant notiones Judæorum, quorum numerus ſatis magnus inter Corinthios. Nec putandum, Gentiles minorem numerum, præcipue malorum, ſtatuiſſe. Inter multos unum citabo *Theognidis* hocce diſtichon.

Οὐδεὶς ἀνθρώπων, οὐδ' ὄλβιος οὔτε πενιχρὸς,
Οὔτε κακὸς, νόσφιν Δαίμονος, οὔτε ἀγαθός. i. e.
Nemo hominum, neque dives neque pauper,
Neque malus, abſque Dæmone, neque bonus.

Hæc non ideo à nobis adducuntur, quaſi iſta probemus; ſed tantum ut evincamus, quid illi ad quos ſcribebat Paulus eſſent intellecturi per Angelum Satanæ.

X I. Concurrit nobis quoque univerſa fere Interpretum cohors. Licet enim pauci primâ fronte aliud videantur dicere, dum alter vocat Satanam, alter homines malos, facile in concordiam reducuntur, cum obſervabimus, plurimorum eſſe ſententiam, eam afflictionem *Paulo* non fuiſſe illatam immediatè a Diabolo ipſo, ſed mediantibus hominibus, qui Diabolo obediebant, & quos ille inſtigabat. Sic *Oecumenius*; Ὁ ὑπηρετούμενος τῷ ἀντικειμένῳ δαίμονι ἄνθρωπος. *Angelus Satan eſt homo miniſtrans dæmoni adverſario. Piſcatori* vocatur, *malus aliquis ſpiritus, à Satanâ ſeu Diabolo emiſſus.* Supra adduximus *Cocceji* verba, qui & §. 34. hunc Angelum vocat *Indiviſum comitem*, *Angelum & famulum colaphizantem. Beza* aſſerit, *Apoſtolum punctura s illas tribuere Satanæ, cujus inſtinctu tot undique incitabantur, ad omne contumeliæ genus ipſi inferendum.* Amyraldus in paraphraſi hanc habet mentem: *Neſcio quis Dæmon quem Deus providentiâ ſuâ voluit adhærere. Hammondus* habet *Satanam aut quodpiam ejus inſtrumentum.* Quod & ratione non prorſus contemnendâ *Camero* probat in *Myroth.* ad h. l. ubi explicans, quid ſit σκόλοψ, eſt Angelus, inquit, Satan, qui me colaphizet, *more ſcripturæ, quod priore loco dixit figuratè, poſteriore nudis & ſignificantibus verbis proponit.* Quanquam primus non ſit qui rationem iſtam invenit; idem enim ſubinnuere *Bezam* exiſtimo, quando de hâc περικοπῇ ait, *eſt autem hoc poſitum in* ἐπεξηγήσει. Ne nunc Annotatores *Gallos*, *Belgas*, &c. adducam.

X I I. Non moramur contradicentes, quos *Celeb. Voetius* vocabat, *Abſurdos Philoſophos, qui fere omnes operationes diabo-*

licas

licas explodunt, quia ſcil. ipſi non capiunt vel experti ſunt. Profligatos eos dedit *Celeb. Markius*, parvo ſed completo tractatu, *de Dæmoniacis, Exerc. Text.* XXIX. Quæ ibi habet, cum convincendis ſint omnibus, quibus mica reverentiæ erga S. Scripturam ſupereſt, analogicè pleraque huc referri queunt; proinde contra eos verbum non amplius addam.

XIII. Si tamen cui reſtat ſcrupulus, eo quod ἐδόθη *Paulo* hic *Angelus Satan*, ſcil. à Deo, inconveniens nempe eſſe, ut Deus det Cacodæmona, regeremus, vidiſſe hanc difficultatem & amolitos eſſe Interpretes. Eorum huc tendit explicatio. Deum permiſiſſe in bonum *Pauli*, ut eum affligeret Satan. *Auguſtinus, Quæſtionibus ad Lib. Iudicum*, ita concludit. *Ut in uſum ſuorum Deus convertat & inimicos, non ſolum quando vincuntur inimici, ſed & quando metuuntur. Illud ad commendandam largitatem ſuam; illud ad eorum reprimendam elationem. Nam utique inimicus ſanctorum eſt Angelus Satanæ, quem tamen ſibi datum colaphizantem dicit Apoſtolus, ne magnitudine revelationum extolleretur.* Recte item *Hammondus*; *Deus mihi ex miſericordiâ dolorem immiſit, quem mihi infligit Satanas.* Adde *Gloſſam Interlinearem*, quæ habet; *Deus ad conſervationem humilitatis immittit ſtimulum, at Diabolus venit ut ad defectum traheret.* Item *Ordinariam*, quæ diſertius; *non tanquam Deo iſtos hoſtes armante, (abſit enim hoc) ſed non puniente, neque coërcente, & ad tempus permittente & ſinente.* Annotationes Gallicæ aliam in hâc oppreſſione mentem Deo aliam Diabolo fuiſſe monſtraturæ, ſimile adducunt medicorum & hirudinum. Medici impurum ſanguinem elicere conantur, hirudines ſanguinis avidæ ſunt, eumque ſitiunt. Facile ad præſens negotium applicatur. Solvitur etiam nodus ex Hebræo idiomate, ubi verba, quæ efficaciam videntur dicere, ſæpe nudam tantum permiſſionem denotant. Tum & ſpecialiter verbum נתן inter cæteras bene multas, etiam *permittendi* habet ſignificationem. Nec quis miretur, me in re græcè ſcriptâ ad hebræam linguam confugere; quæ Apoſtoli græce ſcribebant, hebraicè, ut ita dicam, cogitarant, adeoque in difficultatibus maximo cum fructu recurritur ad idioma hebraicum. Vide Vorſtium de Hebraiſmis N. T. & ex eo *Clariſſ. Leusdenum* in *Philol. Græco.* Et ſi de actionibus Dei circa malum plenius erudiri vis, adi LL. CC. de Providentiâ & *Commentatores* ad *Gen.* 45. 5. 2 *Sam.* 12: 12.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 81

XIV. Hiſce prælibatis, ſenſum phraſios plenius inveſtigemus. Eſt ex δυσνοήτοις. In diverſiſſima abeunt interpretes. Nullius laudi detractum vellemus, nec contradicendi prurigo nos impetiit, ut cunctis laudem veritatis abrogemus. Sed, præterquam, quod ſe invicem refellant, chara nobis debet eſſe veritas, & ſenſus quem intendit Spiritus S. Felices nos judicaremus, ſi, ad inveſtigandum eum ſenſum, quicquam conferre valeamus. Ne autem ἀέρα δέρωμεν, quædam præſtruemus κριτήρια ſeu notas, quæ nos doceant pretioſum à vili diſcernere. Quæ notæ ſi admittantur, videbimus an iis congruant, & eorum probationem ſuſtineant interpretationes Virorum Doctorum. Si cadent, tentabimus quicquam nos, & eodem rigore notas noſtras ad judicandum de noſtrâ ſententiâ adhibebimus. Has notas ſive κριτήρια talia fore ſperamus, ut non gravatè aſſenſum lectoris minus pertinacis impetrent. Erunt autem ſequentia.

XV. Debet hic intelligi tale quid. 1. In quo Diabolus præcipuas agat partes: id enim verba ipſa tinniunt.

2. Quod in ſe conſideratum, non ſit probroſum *Paulo*: ſed quod ut εὐδιάβλητον ab ejus inimicis arripi poſſit, & ſic ei contumeliæ verti. Ita tamen ut *Paulo* opus non fuerit ob illud pudore ſuffundi.

3. Quod coincidat cum præcedenti, cui per appoſitionem jungitur. Præcedit autem σκόλοψ ἐν σαρκί, qui cauſa fuerit ei dolorum maximorum.

4. Quod tam intolerandum, ut liberationem efflagitans nullis parceret precibus, quod è verſu ſequ. patet: & ad quod ſufferendum ſpeciali egeret divinæ auxilio gratiæ.

5. Quod *Paulo* fuerit ſupra omnes fideles, imo ipſos Apoſtolos, peculiare: opponitur enim raptui in cœlum, qui non aliis, quod ſcimus, præter Paulum contigit.

6. Quod ſi non à primo converſionis tempore ſaltem per longium tempus ei adhæſerit: nempe memorat ſe ante quatuordecim annos in cœlum raptum fuiſſe v. 2. &, cum ab eo tempore fuerit periculum elationis, remedium ejus adfuiſſe conſentaneum eſt. At verò quatuordecim hos annos ab ejus converſione effluxiſſe uſque ad ſcriptionem hujus Epiſtolæ, *Ludovicus Capellus* author eſt *Hiſtor. Apoſt.* ad annum Chriſti 38. Caligulæ 3. Conjicit Vir ille ſagax, Apoſtolum triduo illo jejunii & cæcitatis, converſionem excipiente & memorato Act. 9. 9.

 raptum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 81

raptum fuiſſe in cœlum. Quæ ſi admittantur, ſequitur, *Paulum* toto tempore, quo credidit in Chriſtum, his ærumnis fuiſſe ſubjectum. Et ex reſponſo Dei ad ejus preces v. 9. patet, nullam ſpem liberationis fuiſſe reliquam.

Hiſce poſitis varia interpretamenta ad trutinam vocemus.

XVI. Veteres proſtant traditiones, hunc locum de morbo aliquo explicantes. Dolore capitis quod ſolitus fuerit conflictari Apoſtolus, opinari quoſdam, referunt *Theophylactus*, *Hieronymus ad Gal.* 4. *Oecumenius*; qui ait, τινὲς μὲν οὖν κεφαλαλγίαν τινα ἔφησαν, ἀπὸ τοῦ Διαβόλου γινομένην. Primaſius idem habet, *quidam nempe dicunt eum frequenti dolore capitis laboraſſe*. Eandem memorant famam *Eraſmus*, *Calvinus*, & *Annotatores Galli*. *Tertullianus Auriculæ dolorem refert*. Thomas Aquinas, incertum quem ſecutus, de Iliaco morbo quo obnoxius fuerit loquitur. De *Podagrâ*, *renum infirmitate*, *& ſtomachi ægritudine* ſermonem immiſcet *Corn. à Lapide*. *Chryſoſtomus Homil. 6. de Laudibus Pauli*, allegat *contemptum corporis dolorem*. *Tinnitus aurium* adducitur à *Friedlibio*. Generalius Cyprianus loquitur, dum vocat, *carnis & corporis multa & gravia tormenta*. Sic & mentem ſuam aperit *Auguſtinus* (qui tamen alibi in explicatione hujus loci vacillat) in *Pſal.* 130. *Dolore quodam corporis traditus exagitandus vehementer, dolores autem corporis immittuntur plerumque ab Angelis Satanæ*. Quod ultimum aliquouſque probat *Grotius*; *à Satanâ morbos etiam piis immitti, Deo id ſinente, ex Jobi Hiſtoriâ diſcimus. Vide & Luc.* 13. 16. Judicioſa etiam hac occaſione adducatur ſententia *Celeb. Marckii Exerc. Text.* XXIX. §. 17. *Eſſe verò Dæmonas morborum omnium cauſas, nec cum Scripturis convenit, nec dicunt vel Gentiles vel Judæi.*

XVII. Repugnat verò ea ſententia κριτηρίῳ noſtro 2. Morbus enim licet ipſa pudenda occupet, neminem contumeliæ ſubjicit, niſi ſit à fœdâ aliquâ cauſâ, ut cum

Caduntur tumidæ, Medico ridente, mariſcæ.

At cum probroſus nullâ ſpecie fuiſſet morbus *Pauli*, quare vocaretur κολαφισμὸς? Magis repugnabit κριτηρίῳ noſtro 4. Nam quid? *Paulus*, Vir ubique animoſus, fortis, conſtans, fœmineo

neo ululatu planget, cum ſibi morbus aliquis obveniat? An tales Interpretes minorem credent conſtantiam *Pauli* quam *Epicuri*, qui apud *Diog. Laert. pag. m.* 300. οὐ συνέχει τὸ ἀλγοῦν συνεχῶς ἐν τῇ σαρκί. ἀλλὰ τὸ μὲν ἄκρον τὸν ἐλάχιστον χρόνον πάρεστι. Αἱ δὲ πολυχρόνιοι τῶν ἀῤῥωστιῶν πλεονάζον ἔχουσι τὸ ἡδόμενον ἐν τῇ σαρκὶ, ἤπερ τὸ ἀλγοῦν. *Dolor non perpetuo durat in carne, ſed ſummus minimo tempore adeſt. Diuturni autem morbi, licet dolorem vehementem, tamen habent in carne voluptatem.* Si M. Antoninus Lib. 10. §. 3. alios & ſe eodem argumento conſoletur. Πᾶν τὸ συμβαῖνον, ἤτοι οὕτως συμβαίνει ὡς πέφυκας αὐτὸ φέρειν, ἢ ὡς οὐ πέφυκας αὐτὸ φέρειν. εἰ μὲν οὖν σύμβαινει σοι ὡς πέφυκας φέρειν, μὴ δυσχέραινε, ἀλλ᾽ ὡς πέφυκας φέρε. εἰ δὲ ὡς μὴ πέφυκας φέρειν, μὴ δυσχέραινε, φθαρήσεται γάρ σε ἐπαναλώσαν. *Quicquid contingit, vel ita contingit, ut id ferre natus ſis, vel ut non ſis. Si contingit ita ut ferre natus ſis, ne gravatum te habeas, ſed prout natus es feras. Sin ita contingat ut ferre non natus ſis, nec ſic quidem graveris: ubi enim te abſumpſerit, & ipſum concidet.* An ſimilibus, quin potioribus è Scholâ Chriſti præceptis, ſanctiſſimus Apoſtolus cor ſuum ſuffulcire non potuit? potuit ſane. Vid. *Rom* 5. 3. 4. 5. Indignum fuiſſet aliis conſilia recta dare, ut dedit *Hebr.* 12. 1. 11. Tum ipſi dicta Eliphazi applicari potuiſſent *Job.* 4. 3. 4. Adde ad κριτήριον 5, noſtrum, quod hoc non fuiſſet *Paulo* peculiare, ſed cum aliis bene multis commune. Et tandem ad 6. quis credat eum per quatuordecim annos ægrotaſſe? Optimè à *Lapide*; *Nuſquam alibi de morbis ſuis conqueritur Apoſtolus; & morbi ipſi magno fuiſſent impedimento in ſuâ prædicatione, Euangeliique propagatione.* Sic omnes iſtas veteres traditiones rejicit homo Pontificius, quod ubivis agunt cum in rem ſuam non ſunt, dum eas alibi ad nauſeam uſque crepent.

XVIII. Abſurditatem ſententiæ iſtius, quâ ſtatuitur, *Paulum* propriè & immediatè à Diabolo fuiſſe vexatum, non proferrem in dias luminis oras, niſi viderem eam placuiſſe *Cameroni* & *Ligtfootio.* Quorum prior in *Myrothecio* ad h. l. poſtquam recenſuiſſet quaſdam opiniones, ſubdit. *Ea tamen ſententia ſimpliciſſima videtur, quæ ſtatuit Paulum cæſum plagis, ab Angelo quodam Satanæ.* Poſterior in *Horis Hebr. & Talm. ad Luc.* 22. 43. *Ego arbitror quod Chriſtus viderit Diabolum, anti-*

quum draconem, ei minantem, cum omnimodo, quem induere potuit, horrore. In parem ſenſum ego intellexerim illud de Angelo Satanæ Apoſtolum colaphizante. *Nempe quod Diabolus in terribili aliquâ ſpecie viſibiliter ei apparuerit, atque eum afflixerit.* Sed non eſt veriſimile, tam conſternatum fuiſſe Apoſtolum ob caſtigationem à Diabolo profectam; vide quomodo glorietur contra Satanæ regnum 1 *Cor.* 15. 55. & contra ipſum Satanam Rom. 8. 38. Quæ ratio, ob quam Paulum Ignatio puſillanimiorem fingamus? dum hujus ad martyrium proficiſcentis verba nobis exhibet Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. 3. cap. 36. Κολάσεις τοῦ Διαβόλου εἰς ἐμὲ ἐρχέσθωσαν μόνον ἵνα Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐπιτύχω. Quæ ſic vertit *Valeſius. Diaboli denique ſupplicia in me unum incurſent, dummodo Chriſto frui mihi liceat.* Et ſi attendiſſent Viri Eruditi, hic agi de ærumna quæ totos quatuordecim, & quod excedit, annos duravit, ut κειτήελον habet, eam ſententiam minime foviſſent.

X I X. Plures confugiunt ad Diaboli ſuggeſtiones (quas *Tertullianus* de *Pudicitiâ cap.* 13. eleganter vocat *injectiones*) quibus Pauli mentem fodicabat. Quaſi verò colaphi fuerint molitiones, quibus eum à fiduciâ in Deum depellere conabatur Satanas. Quam mentem tribui video *Strigelio*: dum *Calvinus* generaliter omnes appellat tentationes, ſecutus *Theodoretum* (vergentem tamen ad ſenſum perſecutionum) ſic παραφράζοντα: τοὺς παντοδαποὺς μοι συνεκλήρωσε ὁ Δεσπότης πειρασμοὺς *Omnigenas mihi attribuit Dominus tentationes.* Annotatores *Galli* adducunt *certamen ſpirituale, agitationes, & tentationes in animâ. Sed hoc*, addunt, *eſt minus probabile.* Specialius determinat *Friedlibius*, dicens, *fuiſſe recordationem à ſe effuſi ſanguinis martyrum.* Cui pollicem premit *Sclaterus*, ſi ei peccato omnia alia quæ fecerat Paulus addantur: citat autem *Sclaterus Pſal.* 32. ut probet peccatum eſſe ſurculum, quo nullus acrior. Sed cum ibi agatur v. 3. 4. de peccato, cujus confeſſionem nondum fecerat Pſalmiſta, & cujus per conſequens remiſſionem non ſenſerat, & poſt confeſſionem v. 5. gaudeat de remiſſione, probatio illa nihili eſt habenda.

X X. Si autem talem intelligeret tentationem, mirum eſſet Paulum nullibi ejus meminiſſe, nullibi queri de ejus moleſtiâ, nunquam indicinam facere quam vix ſibi ſit ſuperabilis, è contra-

trario tam ſecurè gloriari in Deo, in πληροφορίᾳ ſalutis, & nunquam meminiſſe peccatorum ſuorum, quin ſtatim addat certiorationem remiſſionis. Vid. *Tit.* 3. 3--7. Speciatim ubi agit de perſecutionibus, quibus ſanguinem martyrum effuderat, ut 1 Tim. 1. 13--16. Adde quod non fuerint hæ tentationes probroſæ, & quod eas habuerit cum aliis Apoſtolis & fidelibus communes, quas præ cæteris malis tam fervidis precibus deprecari non debuiſſet.

XXI. *Mellinus* in *Martyrologio*, in vita *Pauli* fol. m. 13. *Paulo*, ait, objectum fuiſſe impedimentum aliquo proficiſcendi, quod ab ipſo vocetur ſurculus in carne, Angelus Satanæ, ipſum colaphis cædens. At verò Act. 16. 6. 7. non ſivit *Spiritus Sanctus* Euangelium promulgare in Aſiâ, aut Bithyniam petere. Abſurde ergo id ſemper aſcriberes malo genio. Fateor Satanæ idem aſcribi 1 Theſ. 2. 18. Sed ſemel tantum: & deinde recurret ille locus. Sat locorum *Paulo* patebat extra Aſiam, aut Bithyniam, quibus zelo ſuo uteretur: nec hoc ullo modo ei probroſum, nec tam intolerandum, nec perpetuum.

XXII. Conveniunt plurimi in explicatione de libidine, quaſi *Paulo* à Satana fuerit immiſſa pronitas ad venerem, adeo ut oeſtrum libidinis vix ferre potuerit, quin ad impuritatem prolaberetur. In ἀποβολιμαίῳ Περιόδῳ *Pauli & Theclæ*, hæc introducitur ut formoſiſſima virgo, illi miniſtrans: cujus pulchritudine eum fuiſſe inflammatum, & iſtuc hoc loco reſpici, memini me legiſſe. *Primaſius*, *Alii*, ait, *dicunt eum titillatione carnis ſtimulatum.* Quem ſenſum tamen alio ſubſtituto rejicit, addens; *Sed magis credendum eſt juges tribulationes.* Unde non debebat ab *Eſtio* ut ὁμόψηφος citari. Inter noſtros *Iunius* ſuam in notis ad h. c. mentem pandit his verbis: *concupiſcentiam intelligit, quæ teli inſtar nobis inhæret, ut cogat etiam regeneratum Paulum exclamare, non facio bonum quod volo.* Pontificii ferè conſentiunt in hoc ſenſu. *Eſtius*, *Bellarminus*, *Menochius*, *A Lapide*, *Tirinus*, magna ſunt nomina, inferioris ſubſellii Theologos ex eâ communione facile poſt ſe trahentes. Unde dici poteſt communiorem eſſe inter eos ſententiam. Cogitanti, quare tam proclives ſint Pontificii, ad amplectendam eam opinionem, occurrit duplex ratio. 1.

Ut-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 81

Ut probent, motus concupiſcentiæ in regenitis remanentes non eſſe peccata mortalia. Vid. *Rivet. Cathol. Orth. Tract.* 4. §. 6. Nempe indignum ſtatuunt Paulum peccatorem dicere. 2. Ut conjugio depreſſo cœlibatum etiam cum καύματι extollant. Fateor eam interpretationem verbis apprime congruere; niſi forte quis cenſeat, σκόλοπα ἐν σαρκί, ad aliquid dolorificum ſpectare: dum libido, non propriè ſed per conſequentiam tantum, piis dolorem creet.

XXIII. Argumentis dictata ſua & aliorum ὁμοφώνων ſtatuminare conatur maxime *A Lapide*, quæ verbo diluere non gravabimur.

1. A Dæmone ſolet excitari libido, & eſt in carne. Reſp. Non ſola libido, ſed & alia peccata, vid. *Gal.* 5. 19. 20. 21. Tum & perſecutiones à Diabolo excitantur, & carnem affligunt.

2. Paulus alibi fatetur, eam libidinem ſibi ineſſe Rom. 7. 23. Reſp. Et iſta confeſſio generalis inepte reſtringitur ad concupiſcentiam carnalem. Optime *Eraſmus*; *movet iſtos mentio carnis, ac ſtatim putant de venere verba fieri, quemadmodum Auguſtinus* Concupiſcentiæ *vocem ferme interpretatur affectum coitus; cum Paulus omnem affectum humanum qui non proficiſcitur a Spiritu Sancto* carnem *appellare ſoleat.*

3. Alias non tam tecte fuiſſet locutus. Reſp. Ejus reticentiæ cauſam aliam dari poſſe. E cogitatis noſtris, ſi admittuntur, clare patebit, quare non apertius mentem ſuam pandat Apoſtolus.

4. Concupiſcentia maximè facere potuit ad eum humiliandum & vilem reddendum? Reſp. Ad hanc objectionem pro me reſpondeat Venerandus Senex *Guilielmus Saldenus*, mihi dum vixit amiciſſimus, *Otiorum Theolog.* pag. 204. *Quamnam quæſo intelligit contemtibilitatem Vir doctus?* (Eſtium denotat, qui idem argumentum pro eadem adduxerat cauſa.) *An* extrinſecam *aliquam? non credo: cum ſupponere tum debeat peccatum aliquod externum venereum, quod in oculos incurrat, E. G. ſcortationem vel ſimile quid ab Apoſtolo commiſſum fuiſſe, quomodo enim propter internas & immanentis libidinis flammas aliorum ignominiæ & contemtui exponere ſe potuiſſet? An* intrinſecam *tantum? quâ vileſcere ſpurcitie ſuâ reverâ dicitur homo,*

non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 81

non quidem coram hominibus aliis ſed coram Deo cordium ſcrutatore & coram ſeipſo. At quomodo id iterum libidini venereæ *proprium magis eſſe evincet quam aliis peccatis, præſertim atrocioribus, hypocriſi, vindictæ cupiditati, atheiſmo, verbi divini contemptui* &c. Addo, quod, ſi quis reſiſtat pruritui carnis, daretur imprudenti materia gloriationis.

5. Illæ concupiſcentiæ non lædunt ſanctos, ſed tantum κολαφίζουσι. Reſp. Τῇ ὑποθέσει δουλεύει. Vide *Celeb. D. Marckii Comp. Theol. Cap.* 12. §. 33.

6. Tam enixè contra eam concupiſcentiam precatur. Reſp. tam futilis eſt objectio ut reſponſione non ſit digna. Deinde idem *A Lapide* objectionibus contra ſuam ſententiam utcunque ſatisfacit. Sed apprime cavet à productione talium argumentorum, quibus indubiè ſuccumberet, E. G. quare Paulus non duxerit uxorem? &c.

XXIV. Refellendæ adductæ interpretationi, argumentis quæ infirma videri poſſint non pugnabo. Non ergo dicam, *Paulum* ſenem fuiſſe decrepitum, de quo propter ſenectutem non eſſet fovenda talis ſuſpicio. Nam præterquam quod conſequentia non eſſet ſatis firma, qui ſenex ipſo eſſe potuit, qui ante ſedecim annos (ſequor computum *Ludovici Capelli*) vocatur νεανίας? Vocatur Πρεσβύτης, fateor *Philem.* v. 9. quod ætate fuerit provectâ. Baronius ei tribuit quinquaginta ſeptem annos: ſed illa ætas non ſolet exſtinguere omnem rei venereæ cupidinem. Nec etiam cauſabor, ut aliqui, quod *datum* ſibi dicat *Angelum Satanæ*, cum indignum cenſeatur, Deum *dare* libidinem; nam hac phraſi permiſſio efficax Divinæ providentiæ denotatur, ut & ſupra viſum. Nec aſſeverabo *Paulum* fuiſſe conjugatum, & ſic veriſimiliter non arſiſſe, licet id affirmet *Clemens Alex. Stromat. lib.* 3. Καὶ ὅγε Παῦλος οὐκ ὀκνεῖ τὴν αὐτοῦ προσαγορεύειν σύζυγον, ἣν οὐ περιεκόμιζεν διὰ τὸ τῆς ὑπηρεσίας εὐσταλές. Λέγει γὰρ, μὴ οὐκ ἔχομεν ἐξουσίαν ἀδελφὴν γυναῖκα περιάγειν. i. e. *Sylburgio* vertente: *Et Paulus certe non veretur ſuam appellare conjugem, quam non circumferebat, quod non magno eſſet ei miniſterio. Dicit enim* (1 *Cor.* 9. 5.) *an non habemus poteſtatem ſororem mulierem circumducendi &c.* Falſam credimus eam traditionem, ut pleraſque veterum: nec

 ex

ex allegato loco, ullo modo, patet.

XXV. Sententiam adductam de libidine rejiciunt plures, (quorum adducta eſt vel adducetur ſenſus ſub alia interpretatione) tum veterum tum recentiorum. Videat, cui vacat, *Calvinum*, *Piſcatorem*, *Zegerum*, *Caſtalionem*, *Quiſtorpium*, *Lud. Capellum*, *Gallos Annotatores &c.* Audiamus quoque *Eraſmum* ſtomachantem; *Nonnulli*, inquit, *ſtimulum hunc interpretantur motus & affectus libidinis, quod demiror ulli Docto Theologo placere.* Præclare *Eraſme:* nam ſi arſiſſet, quare non ducebat uxorem? conſilium enim hoc aliis dat 1 *Cor.* 7: 9. nec veriſimile eſt tam acerbe eum queri de incitamentis, cum corpus ſuum jam ante ſubegiſſet, 1 *Cor.* 9: 27. Et quare quæſo optaſſet 1 *Cor.* 7. 7. omnes eſſe ſicut ſe, ſi ille tantopere libidine æſtuaſſet? Etiam hac in re multos habuiſſet ſocios; vide notam noſtram quartam. Tum & vix credibile cuiquam cordato erit eum totos quatuordecim annos & ultra ſenſiſſe hanc libidinem; vide notam noſtram ſextam.

XXVI. Non multò minor erit numerus, contendentium hic agi de afflictionibus, & inimicis, quos ubique reperiebat, quique ipſi reſiſtebant, & fructum prædicationis ejus ſufflaminare conabantur. Sic *Chryſoſtomus Epiſt.* 16. τὰς πληγὰς λέγων, τὰ δεσμά, τὰς ἁλύσεις, τὰ δεσμωτήρια, τὸ ἄγεσθαι, σπαράττεσθαι, κατατείνεσθαι μάστιξιν ὑπὸ δημίων πολλάκις. i. e. *Plagas vocans, vincula, catenas, carceres, rapi, duci, ſæpe extendi flagris à Carnificibus.* Concinit *Ambroſius*; *hoc ergo*, ait, *remedium datum eſt Apoſtolo, ut imjuriis adverſariorum preſſus non poſſet extolli.* Et Theodoretus, Ἄγγελον, inquit, γὰρ Σατᾶν τὰς ὕβρεις καὶ τὰς παροινίας καὶ τὰς τῶν δήμων ἐπαναστάσεις ἐκάλεσε, καὶ τοῦτο ἐν τοῖς ἑξῆς ἑρμηνεύει σαφέστερον. *Angelum enim Satan contumelias, & injurias & populorum inſurrectiones vocavit, & hoc in ſequentibus clarius interpretatur. Primaſium* exponere per *juges tribulationes*, è ſuperiori allegatione patuit. Oecumenii verba longiuſcula ſunt quam ut hic locum inveniant; explicat ille de adverſario quovis, memorat Alexandrum, Hymenæum & Philetum, atque interſerit, οὐκ εἴασεν ὁ Θεὸς ἀκονιτὶ χωρῆσαι τὸ κήρυγμα. *Non ſivit Deus abſque certamine procedere prædicationem.* Deinde reſpondet

ob-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 81

objectioni, quam necti poſſe prævidebat & quam reverâ Eſtius urget: Διὰ τί δὲ οὐκ εἶπεν Ἄγγελους Σατᾶν; (πολλοὶ γὰρ ἀνθιστάμενοι) ἀλλ᾽ ὡς ἐφ᾽ ἑνός φησιν, Ἄγγελος Σατᾶν, ἐπειδὴ κατὰ τόπον εἷς τις εὑρίσκετο ὁ ἀντιπίπτων καὶ τὸν δῆμον ἐπικινῶν, οὗ προκατάρχομένου καὶ οἱ λοιποὶ συνείποντο. *Quare verò non dixit Angelos Satan? (multi enim erant adverſarii) ſed velut de uno, Angelus Satan? quoniam unoquoque loco unus aliquis reperiebatur renitens & populum commovens, quo primordia capiente & reliqui ſequebantur.* Futili objectioni futilem opponit reſponſionem, quæ ſubſiſtere nequit ſi demonſtrari poteſt, ſæpe contigiſſe, ut non unus ſed multi in eum inſurrexerint. Vid. Act. 14; 5. 19. 16: 19. 22. 17: 5. 32. *Gloſſa Ord. Quod dicit hunc habet ſenſum, Deus prædicationem verbi liberius progredi non eſt paſſus, faſtum noſtrum comprimens, ſed adverſariis noſtris poteſtatem fecit.* Et paulo poſt. *Angelum Satanæ dicit Alexandrum Fabrum ærarium, Hymenæum, Philetum* &c. *Angelum Satanæ vocat quemvis adverſarium.* In hunc ſenſum proni ſunt *Eraſmus*, *Calvinus*, *Beza*, *Quiſtorpius*, *Zegerus*, *Saldenus*, &c. *Hammondus*, pro more ſuo, peculiariter ad Gnoſticos digreditur, ſed tamen dubitanter, ut ex his ejus verbis claret. *Creari autem potuit ille dolor Paulo à ſectatoribus Simonis magi, hoc eſt à Gnoſticis.* Verum ille cum perpetuo Gnoſticos crepet, meritò mundo litterato ludibrium debet.

XXVII. Expendat autem quiſque, num hæc, de perſecutionibus, ſententia congruat κριτηρίῳ noſtro ſecundo? nam quo colore hæ vexationes ab inimicis ejus illatæ eum coram fidelibus traducendi anſam dare potuerunt? abſit ut inter primos Chriſtianos afflictiones habitæ fuerint probroſæ, è contrario fuere honorificæ. Genium Chriſtianorum, in hac re, nos docebit *Lucianus*, qui de *Peregrino*, Doctorem inter Chriſtianos agente, ait. pag. m. 566. Ἐνέπεσεν εἰς τὸ δεσμωτήριον ὅπερ καὶ αὐτὸ οὐ μικρὸν αὐτῷ ἀξίωμα περιεποίησε. *In carcerem eſt conjectus; quod etiam ipſi non exiguam authoritatem conciliavit.* Nec credibile eſt ſecundum κριτήριον noſtrum quartum, tam intolerabiles fuiſſe animoſo *Paulo* has tribulationes ut eas toties ſit deprecatus. Tandem ſecundum κριτήριον

 qui-

quintum nihil peculiare Paulo præ cæteris Apoſtolis aut fidelibus incubuiſſet. Vide *Act.* 14: 22. *Rom.* 12: 12. 2 *Tim.* 2: 3. 1 *Pet.* 4: 12. Quo uſque autem memoratam ſententiam veram poſſe dici velimus, ex explicatione patebit quam dabimus.

XXVIII. Ut tandem ſymbolam noſtram adjiciamus., putem (ſi ſciri poteſt quid ſibi velit Paulus, & ſi non ex profeſſo mentem ſuam ſub ambiguitate vocum occultavit) digitum intendi ad *Odium Judæorum, & Judaizantium Chriſtianorum, in Paulum, eo quod rejectâ circumciſione, cæremoniiſque Moſaicis, Gentes ad communionem fœderis divini perducebat; quapropter ejus prædicationi quantum poterant reſiſtebant.* Quem ſenſum ut perſuadeamus, primo veritatem rei in apricum producemus, deinde explorabimus an probationem κριτηρίων noſtrorum ferat noſtra interpretio, an divinatio.

XXIX. Quod Judæi infenſiſſimo odio perſecuti fuerint *Paulum*, luce meridianâ clarius eſt. Si vera eſt conjectura *Cl. Altingii*, ſcriptis Talmudicis notus eſt *Paulus*, & odii in eum cauſæ inibi obſcurius traduntur. Cenſet autem, Paulum venire ſub nomine שמואל הקטון / qui, hortante Gamaliële præceptore, precationem contra המינים / i. e. Chriſtianos concinnaverit: cujus poſteâ fuerit oblitus. Credit Vir Doctus, illis primum ejus in Chriſtianos odium, & inſequentem in eos propenſionem, indicari. Vide *Schilo. Lib.* 4. *Cap.* 26, 27, 28. Noti ſunt ab ævo Judæi odio in extraneos, cujus maxime Tacitus meminit. Multo magis bilem ipſis movent משומדים *Apoſtatæ*. Buxtorfius Lex. Talm. *Pag.* 2442. precationem eorum è libris precum petitam exhibet, ולמלשינים אל תהי תקוה וכל המינים כרגע יאבדו וכל אויבי עמך מהרה יכרתו ומלכות זדון תעקר ותכניעם במהרה בימינו / *Omnibus Apoſtatis nulla ſit ſpes: omnes hæretici* (Chriſtianos velle veriſimile eſt multis) *quaſi momento pereant: omneſque inimici populi tui cito exſcindantur: regnum ſuperbiæ eradicato, confringito & deſtruito: ſubigito eos cito in diebus noſtris.* Qualem cum habuerint *Paulum*, ferventi odio in eum accenſos fuiſſe clarum evadit.

XXX. Sed & odii hujus teſtes ſunt Sacræ litteræ. Omitto inſidias ei ſtructas tum alias, tum paulo antequam hanc ſcriberet Epiſtolam *Act.* 20: 3. Flagellationem quinquies repetitam,

2 *Cor.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 81

2 *Cor.* 11: 24. Et calumnias, quaſi Judæos ipſos à ritibus averteret *Act.* 18: 13. 21: 28. 25: 7, 8. Memorabo quæ Corinthi à ſuis civibus ſit paſſus, & quorum teſtes oculati eſſe poterant illi iidem ad quos hæc ſcripta Epiſtola, ibi enim ὁμοθυμαδὸν accuſationem coram Gallione inſtituunt *Act.* 18: 13. *Hic* ajunt, *perſuadet hominibus ſervire Deo contra legem* Verberant eum *verſ.* 17. Prædixerat Agabus, eum à Judæis vinciendum, & tradendum gentibus. *Act.* 21: 11. Diſcerpſiſſent Judæi, niſi à Gentibus i. e. Romanis militibus fuiſſet ſervatus, cum ergò accuſationi diffidebant, pluſquam quadraginta Judæi, conſentiente Synedrio, diris ſe devovent, nec cibum nec potum capturos antequam Paulum trucidaverint. *Act.* 23: 12, 13, 14. Immanem effervefcentiam hiſce verbis produnt, *Act.* 22: 22. Αἶρε ἀπὸ τῆς γῆς τὸν τοιοῦτον, οὐ γὰρ καθῆκον αὐτὸν ζῆν.

X X X I. At nonne hoc prodigii loco eſt, tantum Apoſtolum de fide in Chriſtum tam bene meritum, â Judæis, jam ad fidem Chriſtianam converſis, fuiſſe odio habitum? Non eſſet credendum, niſi clara ejus rei hiſtoria ſacra exhiberet veſtigia. Quam facile crediderint illi rumoribus de *Paulo* ſparſis, liquet ex *Act.* 21: 21. Loquitur 2 *Cor.* 11: 26. de κινδύνοις ἐν ψευδαδέλφοις, quos è Judæis converſos plerique autumant. Rectâ pede pergebat Noſter in prædicando Euangelio, οὐδένα ἐθώπευεν καθ’ ὑπόκρισιν, ut de ψευδαποστόλοις narrat *Gal.* 6: 12, 13, 14. Quâ puſillanimitate ipſum aliquatenus laboraſſe Petrum φοβούμενον τοὺς ἐκ περιτομῆς, videre eſt *Gal.* 2: 12. Non poterat ergo Judaizantium odium effugere.

X X X I I. Cæremonias ab Apoſtolo, inter gentes converſas, neglectas fuiſſe, ubique oſtenditur. vid. *Gal.* 5: 2, 3, 4. Ab ævo autem omni rabie accenſi fuerunt in eum, qui ſimile quid moliretur. Potiſſimum hoc erat caput accuſationis in Stephanum. *Act.* 11: 13. 14. Unde & nonus ex Articulis fidei ipſorum ſeu עקרים/ ſic ſonat, אמ״בש שזאת התורה המצויה עתה בידינו לא תהא מוחלפת ולא תהא תו״ה אחרת מאת הבורא מתברך שמו· *Credo fide integra, hanc legem quæ in manibus noſtris reperitur, non eſſe mutandam; neque alia futura eſt lex á Creatore, cujus nomen benedictum.* Imo hoc τεκμηρίῳ verum Prophetam à falſo diſcernebant, huncque morti adjudicabant. Hanc eorum mentem eſſe docet Jarchius ad *Deut.* 18: 22.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 81

שאם בא נביא להדיחך מאחת מכל המצוות לא תשמע לו
Si venerit Propheta ut te ab ullo præceptorum depellat, non auſcultabis ei. Hæcce eos *Paulo* applicaſſe extra dubium cenſetor.

X X X I I I. Ex eadem cauſâ fuit, quod à Chriſtianis Judaizantibus odio habebatur. Certe & illi ægerrime ferebant, legibus illis ritualibus ullum creari præjudicium. Presbyteri Eccleſiæ Hieroſolymitanæ ajunt Paulo. *Act.* 21: 20. Θεωρεῖς ἀδελφὲ, πόσαι μυριάδες εἰσιν Ἰουδαίων τῶν πεπιστευκότων, καὶ N. B. πάντες ζηλωταὶ τοῦ νόμου ὑπάρχουσι. Extra Hieroſolyma à ψευδαποστόλοις idem doctum fuiſſe quivis percipiet ex *Act.* 15: 1...5. Quæ opinio, imis medullis inhærens, vix ac ne vix quidem evelli potuit. Non alios Epiſcopos Hieroſolymis quam circumciſos tulere, dum circumciſi ibi quoquomodo rerum potiebantur. Idcirco ut memorabile quid narrat *Euſebius Hiſt. Eccl. Lib.* 4. *Cap.* 6. Hadrianum Imperatorem Judæos, dato eis Æliæ nomine, omnino Hieroſolymis abegiſſe: quo cum confluxiſſent multi alienigenæ, addit tandem. Καὶ δὴ τῆς αὐτόθι ἐκκλησίας ἐξ ἐθνῶν συγκροτηθείσης, πρῶτος μετὰ τοὺς ἐκ περιτομῆς Ἐπισκόπους, τὴν τῶν ἐκεῖσε λειτουργίαν ἐγχειρίζεται Μάρκος. *Et cum Eccleſia ejuſdem loci è gentibus coaluiſſet, primus poſt Epiſcopos ex circumciſione Sacerdotium* (ita vertit Valeſius Helenæ ſuæ blandiens, cum verti debeat *adminiſtrationem*) *illius civitatis ſuſcepit Marcus.* Quod *ſummus Vir Fridericus Spanhemius* hiſce verbis aperit Introduct. ad Hiſt. Eccl. *Tom.* 1. *p.* 270. *Sed & utilitas quædam ex hac Judæorum calamitate ad Chriſtianos Hieroſolymitanos rediit. Tum enim purgatam fuiſſe à Judaiſmo & legalibus Eccleſiam, nec admiſſos amplius Epiſcopos qui eſſent ex circumciſione teſtes ſunt Euſebius Hiſt. l.* 4. *c.* 6. *& Sulpicius Severus, l.* 2. Adde teſtimonium *Luciani* de morte Peregrini diſſerentis; in Syria narrantis eum fuiſſe Doctorem Chriſtianorum, & quidem magnæ exiſtimationis; reddentiſque cauſam quare ab iis fuerit rejectus, hiſce verbis pag. m. 570. Παρανομήσας δὲ ἐς ἐκείνους ὤφθη γάρ τι ὡς οἶμαι ἐσθίων τῶν ἀπορρήτων αὐτοῖς. *Cum aliquid in Chriſtianos commiſiſſet, ſiquidem viſus erat, ut opinor, aliquid ex interdictis comediſſe.* Quapropter opus habuerit ab iis diſcedere, οὐκ ἔτι προσιεμένων αὐτῶν, *non amplius recipientibus ipſis.* Contigit id ſecundum Scholiaſten ſub tempora

Veri

Veri Imperatoris, adeoque viginti præter propter annis poſt debellata Hadriano Hieroſolyma. Quin & longo poſt tempore Clemens Alexandrinus Alexandriâ profugus, & Hieroſymis, uti quidem videtur, degens neceſſe habuit ſcribere librum, quem *Euſebius* recenſet *Hiſt. lib.* 6. *c.* 14. Καὶ ὁ ἐπιγεγραμμένος κανὼν ἐκκλησιαστικὸς, ἢ πρὸς τοὺς Ἰουδαΐζοντας, ὃν Ἀλεξάνδρῳ τῷ δεδηλωμένῳ Ἐπισκόπῳ ἀνατέθεικεν. *Et qui inſcribitur Canon Eccleſiaſticus, ſive contra Judaizantes, quem prædicto Alexandra* (Hieroſolymorum) *Episcopo nuucupavit.* Ne nunc Ebionitarum hæreſin memorem, quibus ſe conjunxit Elxai, teſte Epiphanio in Hæreſi Ebionitarum. Illi enim ἐβλασφήμουν περὶ τοῦ ἁγίου παύλου. pag. m. 149. Sic & hic cum ſua Ἑλκεσαϊτῶν Hæreſi ἀθετεῖ τὸ τέλειον Ἀπόστολον. *Apoſtolum integrum repudiat.*

XXXIV. Judæi ex iſto odio, quavis data occaſione, *Pauli* prædicationi reſiſtebant, & quantum in ſe eſſet, claudebant regnum coelorum, prohibentes intrare alios, dum ipſi non intrabant. Factum id Antiochiæ urbe Piſidiæ *Act.* 13: 45, 46. Iconiæ. *Act.* 14: 2, 5. Lyſtris *verſ.* 19. Theſſalonicæ *Act.* 17: 5. Qui Judæi Theſſalonicenſes ſubornabant & Beroenſes *verſ.* 13. De quâ Theſſalonicenſum indole graviſſimam inſtituit querelam 1 *Theſſ.* 2: 14, 15, 16 *Vos enim fratres imitatores facti eſtis Eccleſiarum Dei in Iudæâ, in Chriſto Ieſu, quippe qui eadem paſſi ſitis, & Vos à propriis contribulibus, ſicut & ipſæ à Iudæis: qui etiam Dominum Ieſum, & proprios Prophetas occiderunt, & nos exegerunt:* (ἐκδιωξάντων) *neque Deo placent, & omnibus hominibus adverſantur. Prohibentes nos gentibus loqui ut ſerventur, ut ſemper compleant peccata ſua. Occupavit enim eos ira ad extremum uſque.* Eoſdem ſe præſtiterant Corinthi, cum enim Apoſtolus ibi decreviſſet exſpectare Silam & Timotheum, per Macedoniam profectos, nolebat ante eorum adventum urbe ejici. Ideo quaſi per ambages, non nudis verbis ſed tectè ἔπειθε, τοὺς Ἰουδαίους καὶ Ἕλληνας, Act. 18: 4. Illum ſenſum eſſe ſuſpicio eſt è verſu 5. *Cum autem advenerant Silas & Timotheus, conſtringebatur Spiritu Paulus, teſtificans Iudæis Chriſtum Ieſum:* quo audito hi *ſeſe opponebant & blaſphemabant verſ.* 6. adeo ut viſione coeleſti Apoſtolus confirmari opus habuerit. v. 9.

XXXV.

X X X V. Veritate rei quam poſuimus ſatis declarata, ad finiendum, quod nobis propoſuimus ſtadium, ſupereſt, ut interpretationi noſtræ applicemus κριτήρια ſupra à nobis poſita. Et quidem.

1. Nemo dubitabit, quin Satanas, (qui incredulitatis cauſa in pluribus *Eph.* 2: 2. 2 *Cor.* 4: 4.) etiam inſtigaverit Judæos contra Paulum, a cujus prædicatione regno ſuo quam maxime metuebat. Et admodum veriſimile eſt, *Satanam* qui *impediebat* ne Theſſalonicam regrederetur 1 *Theſſ.* 2: 18. fuiſſe eum ipſum Angelum Satanæ, cujus inſtigatione urbe excedere coactus fuerat.

X X X V I. 2. Non erat quidem probroſum *Paulo*, ob veritatem civium ſuorum odia ſuſtinere; imo magis glorioſum. Attamen Judæi qui cenſebant veritatem ſuæ genti tantopere eſſe propriam, ut ipſi errare non potuerint, confer *Ier.* 8: 8. 18: 18. occaſionem ſemper præſto habuerunt calumniandi ſi qui ab eorum opinione deviarent. Sic de Chriſto tanquam probroſum quid dicunt *Ioh.* 7: 48. Et à Pilato ut plauſibile quid arripiebatur, quod Jeſus â gente ſua & Pontificibus ſibi eſſet traditus *Ioh.* 18: 35. Generalis iſta reſiſtentia etiam à Judæis Romæ degentibus Paulo objiciebatuar *Act.* 28: 22. Quis ergo miretur, iſtud odium, iſtas oblocutiones, calumnias, inſidias, perſecutiones à propria gente, ab eo vocari κολαφισμὸς.

X X X V I I. 3. Poteſt etiam commodè illud odium vocari σκόλοψ ἐν σαρκί. Quod ut evincamus, & huic phraſi lucem aliquam affundere conemur. Σκόλοψ varie vertitur, *Spina*, *Aculeus*, *Stimulus*, *Aſſula*, *Telum*, *Sudes*, *Spiculum*, *Vallus*, *Pinna*. *Beza* vertit per *ſurculum*, & benè: nam phraſis *Dioſcoridis* σκόλοπα ἕλκει, à *Plinio* transfertr *Lib.* 8. *Cap.* 16. *ſurculum extrahit.* ܣܦܠܐ habet *Syrus*, quud *ſpinam*, *ſtimulum*, ſed & generaliter moleſtiam denotat. *Arabs* مخز quod Prov. 26: 3. Græcæ voci κέντρω reſpondet. Aculeatum quid ſignificare in propatulo eſt. Etiam tale quid quod ingreſſum per viam aliquam prohibeat, quod enim *Hoſeas* c. 2: 8. חנני שך את דרכך בסירים id LXX. vertunt, Ἰδοὺ ἐγὼ φράσσω τὴν ὁδὸν αὐτῆς ἐν σκόλοψι. *Homerus* per σκόλοπας ſemper intelligit *Palos acutos*, muris vel appoſitos vel impoſitos, ad cohibendum hoſtium incurſum. Vide Euſtathium, ad illa verba *Iliad.* H.

Ἐν

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 81

Ἐν δ' σκόλοπες κατέπηξαν, ubi σκόλοπες vocat ὀρθὰ ξύλα καὶ ἀποξυμμένα *recta & acuta ligna.* Sic & ad *Iliad* M.

σκόλοπες γὰρ ἐν αὐτῇ

Ὀξέες ἑστᾶσιν addit iterum Euſtathius Ὀρθὰ ξύλα καὶ ὀξέα, ἃ καὶ σταυροὺς ἐκάλουν. *Recta ligna acuta, quæ & cruces vocant.* Eodem ſignificatu vox occurrit apud *Dion. Halic. Hiſt.* l. 3. *pag.* m. 190. Agit de caſtris Latinorum bene munitis, cum pugna cederent, οἱ δὲ πλείους Λατίνων ὠθούμενοί τε ὑπ' ἀλλήλων καὶ καταπατούμενοι περὶ τοῖς σκόλοψιν ἢ κατὰ τὰς τάφρους διεφθάρησαν. *Bona pars Latinorum, ſe mutuo trudentes & conculcantes, circa vallos & foſſas perierunt.* Non autem hoc ſignificatu ſumi debet hic vox, quaſi Paulus iſto σκόλοπι fuerit impeditus à tranſcenſione alicujus alti muri, nam hâc ideâ σκόλοψ nobis in textu non obverſatur, additur enim ἐν σαρκί. Tum & de uno non eſſet ſermo, ſed de pluribus, notante *Euſtathio* iterum ad *Iliad* iſta verba.

Σταυροῖσι πυκινοῖσι

Annotat. σκόλοπες οἷς ὅσα καὶ ἑρκίῳ τοίχῳ αὐλὴ φράττεται, διὸ καὶ πυκνοῦσθαι αὐτοὺς χρή. i. e. Σκόλοπες *ſunt, quibus, quaſi ſepto muri, aula ſepitur, quare & crebros poni oportet.*

Paulo longius ab uſu Apoſtoli recedit ſignificatio quâ crucem notat. Eſt verò genus crucis Veteribus memoratum, quod acutum erat, quodque per inferiora juxta ſpinam dorſi adigebatur; quâ & hodie Aſianos uti peregrinatores docent. Gallicè vocant *empaler.* De hac cruce ſatis copioſe egerunt Doctiſſimi Viri *Lipſius. de Cruce. lib.* 1. c. 4. 6. & *Gatakerus Adverſ. miſc. Poſthumis cap.* 45. At lapſu temporis factum fuit, ut omnis crux vocata ſit σκόλοψ, etiam crux unde quis ἐκρεμᾶτο ut ex Euſtathio diſco, *Iliad.* M. inde crucifixos vocabant ἀνασκολοπισμένους ut ſervatorem vocavit *Lucianus*, licet ei modus crucifixionis fuerit apprime cognitus.

Sententiæ noſtræ de interpretatione hujus loci forte alicui obſtare videbitur quod σκόλοψ non dicatur poſitus νοῒ vel ψυχῇ vel πνεύματι Pauli (Pauli inquam nam facile cum Syro ſubintelligemus voculam μου, dum Syrus vertit ܠܒܣܪܗ *carni ſuæ* ſed τῇ σαρκί. Cum ſecundum ſententiam noſtram non

 ejus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 81

ejus corpus ſed ſpiritus judæorum incredulitate & odio fuerit afflictus. At Philoſophum non agit Apoſtolus & ſi ageret non ignoraret ab animâ lancinatâ corpus quoque conjunctum affligi ut & non eſt excludendus animæ dolor, cum *Petro* dicitur 1. Ep. 4. 1. Chriſtus eſſe *paſſus in carne.* Et cum *Paulo* de ſolis animæ affectibus ſermo eſſet tamen ſolius carnis meminit. 2 Cor. 7: 5. καὶ γὰρ ἐλθόντων ἡμῶν εἰς Μακεδονίαν, οὐδεμίαν ἔσχηκεν ἄνεσιν ἡ σὰρξ ἡμῶν, ἀλλ' ἐν παντὶ θλιβόμενοι, ἔξωθεν μάχαι ἔσωθεν φόβοι. Quidni ergo & hic σκόλοψ, cum ſoleat carni inherere, ut ſervetur metaphora integra, de animæ afflictionibus uſurpetrur.

Dolorificum quid ſibi velle phraſin hanc manifeſtum eſt: at quantus dolor Paulo fuerit ex conſanguineorum incredulitate & odio, declarat Rom. 9. 2. Ὅτι λύπη μοι ἐστὶ μεγάλη, καὶ ἀδιάλειπτος ὀδύνη τῇ καρδίᾳ μου.

Et odium incredulæ & infidelis gentis, inter quam quis verſatur, ſimilibus phraſibus venit. Sic minatur *Moſes* Iſraeliti Num. 33: 35. *Si non expuleritis incolas terræ iſtius à facie veſtrâ, erunt quos relicturi eſtis* לשכים בעיניכם ולצנינים בצריכם σκόλοπες ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς ὑμῶν, καὶ βολίδες ἐν ταῖς πλευραῖς ὑμῶν, (ut LXX. vertunt) *ſpinæ in oculis veſtris, & aculei in lateribus veſtris adde* & Ioſ. 23: 13. *Ezech.* 2: 6.

XXXVIII. 4. Dolor ille pene intolerandus erat *Paulo*: crebris precibus Deum quaſi fatigabat, ut eum averruncaret; nec tam orabat ut ſibi Deus doloris ſenſum adimeret, quale quid Iabez 1 Chron. 4: 10. Sed perpetuis flagitationibus converſionem induratæ gentis, & ſic odii iſtius mutationem, Deo extorquere ſatagebat. Nec longè quærendæ ſunt tales preces vid. Rom. 10: 1. Ἡ μὲν εὐδοκία, τῆς ἐμῆς καρδίας καὶ ἡ δέησις ἡ πρὸς τὸν Θεὸν, ὑπὲρ τοῦ Ἰσραὴλ ἐστιν εἰς σωτηρίαν. Quin imo tanto fervore pro eis orat, ut optaret ἀνάθεμα εἶναι ἀπὸ τοῦ χριστοῦ *pro fratribus* ſuis, *conſanguineis ſecundum carnem. Rom.* 9: 3. An non ergo ſpeciali divinæ gratiæ indigebat auxilio, ne tanto dolori ſuccumberet?

XXXIX. 5. Non etiam difficulter concedetur illud odium in Paulum ſuperaſſe averſionem eam, qua in reprobum ſenſum tradita gene ferebatur in alios Chriſtianos, imo ipſos alios Apo-

ſto-

ſtolos. Nam licet gratum ipſis acciderit ſupplicium de *Jacobo* fratre *Iohannis*, quem *Herodes* gladio plexit, *Actor.* 12: 1, 2, 3. licet & vaaiè perſecuti ſint reliquos Apoſtolos, ſecundum prædictiones Chriſti. Tamen non ex pari fervore iis infeſti fuere, quia illi non ita animoſe, vel aperte vel conſtanter ſeſe cæremoniis oppoſuerint. Saltem non videntur voluiſſe incurrere in recutitorum oculos: quos potius demulcere viſi ſunt; ut de Petro & magis de Jacobo conſtat. ex *Gal.* 2:12. quando Petrus, qui bene egerat in cauſæ Cornelii Centurionis, *Act.* 10. (: quam tamen non abſque repugnantiâ, etiam coeleſti viſione monitus aggrediebatur :) οὐκ ὠρθοπόδει πρὸς τὴν ἀλήθειαν τοῦ εὐαγγελίου, adeo ut *Noſter* ei in os reſiſtere, eumque coram omnibus redarguere neceſſe habuerit. Ex iſtâ agendi differitate factum eſt, ut Apoſtoli reliqui, quippe Paulo magis, in rebus ritualibus, moderati, communia ſacra cum Judæis plerumque adire potuerint, quod in *Paulo* vix ac ne vix ferebant contribules. Videtur iſta differentia ipſis Corinthiis fuiſſe apprime nota. 1 *Cor.* 1:12. Ἕκαστος, ait Apoſtolus, ὑμῶν λέγει, ἐγὼ μὲν εἰμι Παύλου, ἐγὼ δὲ Ἀπολλῶ, ἐγὼ δὲ Κηφᾶ, ἐγὼ δὲ Χριστοῦ. Quorum verborum ſenſum, quantum ad noſtrum inſtitutum pro nobis exponat *Cl. Lichtfootius*, *Tom.* 2. *p.* 884. *Unde ſecta Petri nomine? Probabiliorem rationem vix adduxeris, quam quod miniſtrum eum circumciſionis amplecterentur hi exiſtentes de circumciſione, potius quam miniſtrum præputii. Exemplum ſumamus ab ipſo* Marco Petri *filio aut Diſcipulo* 1 *Pet.* 5: 13. *Ille comes* Paulo *&* Barnabæ *electus in peregrinatione ſuâ inter gentes, confeſtim ab iis receſſit & rediit* Hieroſolymas, *Act.* 13: 13. *Et quare tandem? ego hanc cauſam adduxerim, quam corrige ſi diſplicet, nempe quod ille lateri miniſtri circumciſionis* Petri *olim adhærens, non probaret quæ agerent hi miniſtri præputii inter Gentiles; at melius edoctus tandem rediit ad* Paulum. *Sic & hi* Corinthii, *& Iudæi quidem omnes ubique converſi, nimium quidem ubique Iudaizantes, quam promptius nomina ſua celeberrimo iſti miniſtro circumciſionis dederent, quam miniſtro aut miniſtris præputii.* E quibus manifeſtum evadit, Petrum (& quidni de reliquis Apoſtolis idem ſentias) magis indulſiſſe cæremoniis, quam Paulum; adeoque minus odum Judæorum & Judaizantium ſubiſſe. Non tam ægre ferebant, licet quis in fundamentalibus erraret, ut Sadducæi, modo non abro-

 garet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 81

garet ritus, pro quibus ſanguinem fundere parati ſemper erant. Quâ de cauſâ ψευδαπόστολοι, neceſſitatem rituum urgentes, *Act.* 15: 1-5. *Gal.* 6: 12. 13. Facienteſque Judæos ex ſtultis inſanos, magis eos contra *Paulum* exacerbarunt.

X L. 6. Nihil æque manifeſtum quam diuturnitas hujus odii: ab initio converſionis cepiſſe, tempore, auctum fuiſſe admodum credibile eſt. Ut ergo Chriſtus *Ananiæ Paulum* Baptizaturo dicebat, *ego oſtendam ei, quam multa oporteat eum pati pro nomine meo*; *Act.* 9: 16. ita non multò poſt fuit quin impleretur: exæſtuabat illud odium Judæorum *verſ.* 23. Ὡς δὲ ἐπληροῦντο ἡμέραι ἱκαναὶ, συνεβουλεύσαντο οἱ Ἰουδαῖοι ἀνελεῖν αὐτόν. Cumque veniſſet Hieroſolyma; cœleſti viſione ipſi illud odium magis fuit manifeſtatum; oranti enim in Templo ἐν ἐκστάσει (unde obiter videmus, quod tunc temporis ille raptus, hoc capite memoratus, non contigerit, quod cenſet *Lichtfootius*) vidit Jeſum ſibi dicentem, *Act.* 22: 28. Σπεῦσον καὶ ἔξελθε ἐν τάχει ἐξ Ἱερουσαλήμ: διότι οὐ παραδέξονταί σου τὴν μαρτυρίαν περὶ ἐμοῦ. Nec ſolum non recipiebant ejus teſtimonium ſed &, *Act.* 9: 29. Οἱ Ἑλληνισταὶ πρὸς οὓς συνεζήτει, ἐπεχείρουν αὐτὸν ἀνελεῖν. ut Hieroſolymis excedere fuerit coactus.

Decollaverat quoque omnis *Paulo* ſpes liberatonis, non enim receperat promiſſionem, conculcandum iſtum Diabolum ſub pedibus ſuis ſed potius ipſi revelatum erat *Rom.* 11: 25. τὸ μυστήριον τοῦτο, ὅτι πώρωσις ἀπὸ μέρους τῷ Ἰσραὴλ γέγονεν, ἄχρις οὗ τὸ πλήρωμα τῶν ἐθνῶν εἰσέλθῃ. Imo diu ante id noverat, cum enim omnium primam ſciberet Epiſtolam 1 *Theſſ.* 2: 16. ait, Ἔφθασε ἐπὶ τοὺς Ἰουδαίους ἡ ὀργὴ εἰς τέλος. Ut indeſinenter triſtari ſuper ipſos habuerit. *Rom.* 9: 2. ἐστὶ ἀδιάλειπτος ὀδύνη τῇ καρδίᾳ μου. imo ut neceſſe fuerit ei expetere preces fidelium, ſummis cum obteſtationibus, non ſolum ut liberaretur à Judæis incredulis, ſed & ut gratæ eſſent converſis Eleemoſynæ, quas è gentibus collecta adſerebat. *Rom.* 15: 30, 31. Παρακαλῶ δε ὑμᾶς ἀδελφοὶ, διὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ, καὶ διὰ τῆς ἀγάπης τοῦ πνεύματος, συναγωνίσασθαί μοι ἐν ταῖς προσευχαῖς ὑπὲρ ἐμοῦ πρὸς τὸν Θεόν. ἵνα ῥυσθῶ ἀπὸ τῶν ἀπειθούντων ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ, καὶ ἵνα ἡ διακονία μου ἡ εἰς Ἱερουσαλὴμ εὐπρόσδεκτος γένηται τοῖς Ἁγίοις.

X L I. Nemo, poſt ea, quæ dicta ſunt, mirabitur, quod

tam

tam tectè ſit locutus, ne ſcilicet eos porro irritaret, nam eorum Corinthi erat magnus ſatis numerus.

X L I I. Hæc in locum vexatiſſimum commentatus, Piorum & Eruditorum examini ſubjicio: paratus obelo transfigere, ſi errorem docear. Nulla enim virtus tantopere Theologum decet quam *Modeſtia*, uti docuit reverâ *Modeſtus Theologus Herm. Witſius* in oratione ſuâ nuperâ Inaugurali. Docet id è ſuo ſtatu, quem vidimus, *Paulus*, eo verſu cujus pars ſubjectum noſtræ fuit diatribes: Docet maxime Chriſtus ταπεινὸς τῇ καρδίᾳ.

COROLLARIA.

I.

Socinianorum errores ex hoc generali Πρώτῳ ψεύδει *oriuntur, quod nolint rationem ſuam ſubjicere revelationi.*

I I.

Inde S. S. poſſe ad ſalutem intelligi abſque illuminatione Spiritus Sancti.

I I I.

Inde negant Dei omni præſentiam, ſimplicitatem, & Trinitatem.

I V.

Inde negant creationem materiæ.

V.

Inde ſtatuunt primum hominem creatum eſſe mortalem.

B

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 81

VI.

Inde ſtatuunt Jeſum merum hominem, negant ſatisfactionem.

VII.

Inde eadem carpora negant reſurrectura.

VIII.

In his & aliis eorum erroribus Orthodoxam ſententiam defendendam ſuſcipimus.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 81

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 81

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 81

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 81